


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIV. N. 145

MM. MAJO et JUNIO

AN. D. MCMLIV

# Bibliographia

C. TAGLIAVINI. — *Le origini delle lingue neolatine*, seconda edizione rielaborata. Bologna, Casa Editrice Prof Riccardo Patron. 1952

Opus magnae quidem molis ponderis que hoc de origine linguarum Neolatinarum, a professore C. Tagliavini scite exaratum. Quod est in primis studentibus in Facultatibus litterarum et in Magisterio dicatum, atque omnibus quoque viris rerum linguisticarum et philologicarum maxime studiosis. Eas vero de re lectiones continet, quas praeclarus auctor in Universitati Bononiensi, anno academico 1926-1927, explicavit, maxima enitens cura, qui ad nostram diem commodaret opus in schola Italica vere «classicum». *Le Origine Neolatine*, a Paulo Savj-Lopez aliquo abhinc tempore conscriptum.

Illaec autem altera editio operis fructus est laboris atque studii in magisterio clari viri Tagliavini quinque admodum lustra, eaque maxime profectus. Ideoque cum bibliographia tum res ipsa ad nostram usque aetatem rite sapienterque adducta est, lectorum denuo studio recolenda.

Voluminis ejus modi indices, qui elaborati sunt a Dre. Theresia Cappello, plane luculentí maxima equa utilitatis, in opere tantae amplitudinis (pp. XX-584) Primus quidem (pp. 497-510) est nominum in opere auctorum index: completus eorum elenches, qui ad nostram diem de re disputaverunt scriptorum Alter est materiarum index (pp. 511-528): qui plane commodus aptusque ad ea reperienda, quae in cursu libri adducuntur. Ultimus, isque praecipuus, est index verborum (pp. 529-580): quasi nomenclator verborum, quae in opere infra eruditione ac copia refert auctor. Plus triginta linguarum voces ibi lector consulendas reperire valet.

Post brevem auctoris praefationem

(pp. V-VIII) breviationes operis consequuntur (pp. IX-XII). Deinde habes phoneticas transcriptiones diversarum linguarum atque normas ususque ad lectionem idiomatum Romanicorum (pp. XIII-XIX).

Jam vero totum opus in septem ampliora capitula dividitur. 1) Philologia Romanica (pp. 1-56) 2) «Substratum» praeromanum (pp. 57-118). 3) «Romania», id est, territoria perdita ac territoria denuo acquisita in provincia lingistica Neolatina (pp. 119-164) 4) Nucleus centralis seu Latinus (pp. 165-214). 5) «Adstrata» et «superstrata» (pp. 215-305). 6) Linguae et dialecti Neolatinae (pp. 306-412). 7) Denique antiquiora monumenta linguarum litterariorum (pp. 413-494). Paucis, opus maximi quidem momenti est ad hodiernam culturam Romanicam evulgandam atque ad eam docendam.

C. SCHWIEDER. — *Latine loquor*. Romae, ex Officina Libraria Herderiana. Piazza Montecitorio, 117. 1953.

Nitide hujus modi voluminis finem clarus scriptor, in prooemio, detegit: «Opusculum qualemcumque hoc eo tantum spectat, ut legentem latine colloqui edoceat, grammaticę quidem sed et latine animi sensa ad vitae nostri temporis usus facile ac perspicue premere».

Atque libri tanquam «synthesis» his ipsis auctoris versibus scite comprehenditur: «Quae ideo in cotidianis vitae commerciis hodie passim occurunt, ab adulescente aetate ad extremam usque senectam, facile tibi, amice lector, hisce in paginis inventes, ut: qua ratione mane surgendum; qua scholae praeparanda; qua salutandi familiares et amici; qua ad scholam festinandum; quid in schola quidve in via vel domi agendum; quid per urbem cum amicis vel cum extraneis cavendum; quid in deambu-

(cf. extremam pag. hujus fasc.)

# PALAEASTRA LATINA

PREIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Preium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

## De Callisthenē\*

Nonnulla denique ad quaestionem de Hermia principe addenda restant. Tertullianus (*Apologeticum*, 46, 15. cf. EUSEBIUS PE XV 2, 12) accusavit Aristotelem quod foede Hermiam deseruit, ut a Persis interficeretur; quod crimen ab iis, qui philosopho illi Peripatetico obtrectare solebant, Aristoteli tribuebatur.

Aristoteles vero tribus in Hermiae honorem carminibus memoriam illius principis Atarnitae discipuli familiaris aeternam conservavit atque apologia (cf. *Athenaeus*, XV 697 a) anno 323 Athenis contra adversarios defendit.

Monumentis quoque Hermias honestatus est; primo Delphis, ubi statua Hermiae anno 341, ut videtur, una cum Aristotelis hymno in virtutem (*are-tán*) reguli Atarnei erecta est; deinde perparvum templum rotundum (*thalamus*) cum statua Hermiae anno 335 simul cum versibus elegiacis Aristotelis in lateribus crepidinis statuae constructum est. Praeterea Plinius (H. N. 37, 66-67) commemorat mirabile mausoleum quod Hermiae honori in insula Cipro aedificatum est, cuius proprietates Theophrastus in libro «de lapidibus» descriptis.

Fragmenta vero libri Callisthenis, qui inscribebatur «Hermias», inveniuntur apud Demetrium «de elocutione» 293, ubi refertur, quo modo Hermias indignaretur audiens tales objurgationes quales ad ejus eunuchi qualitatem pertinerent: «machairiona» (non: *machairion*), «tomfan» (non: *tomén*), «ektomfan» (non: *ektomén*); ibidem ultiro «clemens» Hermias laudatur. Praeterea Didymus ipse Alexandrinus in commentario ad orationem Demosthenis (p. 10, 64 editionis Teubneriana 1904) excerptum ex «Hermia» Callisthenis laudavit. Ex eodem Callisthenis libro Helladius (circa annum p. Chr. n. 300) eundem de eunuchi qualitatibus locum sumpsisse videtur, qui locus in Photii bibliothecae codice 279 Helladii legitur, cf. index Bekkeri sub voce «Hermias».

De Callisthenē ipso tandem Theophrastus Peripateticus libellum proprium composuit (cf. CICERO, *Tusc.* III 9. DIOG. LAERT. V 44) fortasse brevi post mortem Callisthenis, qui anno 327 periit; ubi sortem illius rerum scrip-

\* Cfr. facs., 144, p. 145.

toris tristissimam Theophrastus enarravit eodem fere modo Callisthenem celebrans honestando et deplorando atque Callisthenes, olim scholae Peripatitiae juvenis doctor, amicū Hermiam principem miserando praedicavit.

Postremo libelli, qui enumerantur, magni momenti, ad quaestionem de Hermia intellegendam, sunt:

1. PETER VONDER MUEHLE: *Hermias*. RE Supplement, III (Stuttgart, 1914) 1126-1130.
2. W. JAEGER: *Aristoteles* (Berlin, 1923) 112-120 et in editione Anglica (Oxford, 1948) nec plena nec plane de Hermia disputando rettulit.
3. C. M. MULVANY: *Notes of the legend of Aristotle*. Classical Quarterly XX (1926) 155-167.
4. FELIX JACOBY: *Die Fragmente der griechischen Historiker* 2. Teil; *Zeitgeschichte* (Berlin, 1929) nr. 124 *Kallisthenes*, Text fr. 2 p. 640 (Callisthenes encomium composuit de eo (=Hermia)).
5. FELIX JACOBY: *Die Fragmente... Kommentar* (Berlin, 1930) p. 416
6. FELIX JACOBY: RE *Kallisthenes* nr. 2 col. 1674 t707.
7. D. E. W. WORMELL: *The literary tradition concerning Hermias of Atarneus*. Yale Classical Studies V (New Haven, 1935) 57-92.
8. PAUL MORAUX: *Les listes anciennes des ouvrages d'Aristote* (Louvain, 1951) 144-145, 338-339.

EMIL ORTH

## Cursus gymnasticus .

Deinde (1) qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent quam si octogesimum? praeterita (2) enim aetas quamvis (3) longa cum effluxisset (4), nulla consolatio permulcere posset (5) stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis (6) (quae utinam (7) digna (8) esset opinione vestra nostroque cognomine!), in hoc (9) sumus sapientes, quod (10) naturam optimam ducem tamquam deum sequimur (11) eique paremus; a qua (12) non veri simile (13) est, cum ceterae partes (14) aetatis bene descriptae sint (15), extremum actum tamquam ab inerti poëta esse neglectum (16). Sed tamen (17) necesse fuit (18) esse aliquid extremum (19) et tanquam in arborum bacis terraeque fructibus maturitate tempestiva quasi vietum et caducum, quod ferendum est molliter sapienti (20). Quid est enim (21) aliud gigantum modo bellare cum dis nisi naturae repugnare? (CIC. *De Senectute*, 2, 4).

1) **Deinde.** — Rejecit Cato opinionem eorum qui senectutem censem citius advenire, nam aequa gravis illis esset «si octogesimum annum agerent quam si octingentesimum».

2) **Praeterita.** Verte pro adjetivo, non pro participio et sic dispones orationem: «cum enim aetas praeterita quamvis longa effluxisset, nulla consolatio»...

3) **Quamvis.** — (=tam longa quam vis).

Apud classicos scriptores potius *por más que*, *por mucho que*, quam *aunque* significat. Inde optime cum adjetivis usurpatur, raro cum participiis: «Res bello gesserat quamvis rei publicae calamitosas attamen magnas» (CIC. *Phil.* 2, 45, 116) «Quamvis porticu protecta vasa nihilominus» .. (COL. 9, 14, 14)

4) **Cum effluxisset.** — (==postquam effluit). In orationibus quae tempus exprimunt

quibusque facta narrata inter se copulantur, imperfectum vel plus quam perfectum subiectivi adhibentur: «(Epaminondas) cum visisset Lacedaemonios apud Mantineam, atque ipse gravi vulnera examinari se videret, quaesivit salvusne esset clipeus». (Cic. Fin. 2, 30).

5) **Posset.** — Subjunctivus irrealis. - Extremus locus qui in oratione *stultae senectutis* tribuitur, maximam vim sententiae ac menti Tullii praestat.

6) **Soletis.** — Verbum *soleo simplicem infinitivum secum fert*: «Qui mentiri solet, perjicare consuevit». (Cic. Rosc. 16, 46).

7) **Utinam esset.** — Subjunctivus optativus qui votum vel desiderium exprimit Praesente aut perfecto utimur ad notandum votum quod fieri potest vel potuit; Imperfecto vero vel plus quam perfecto ad desiderium quod nec potest nec potuit fieri. Saepe particula *utinam* praecedit: «Valeant cives mei; sint incolumes, sint florentes, sint beati». (Cic. Mil. 34). «Omnia di facerent, essent communia nobis». (Ov. Met. 9, 490).

8) **Digna.** — *Dignus et indignus* fere semper cum ablativo usurpantur; cum genitivo in poëtis et aliquando apud Ciceronem inveniuntur: «Obsecro te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis». (Cic. Att. 8, 15).

9-10) **In hoc... quod.** — Explicativum, quia sensum orationis quasi explicat Apte pronomini demonstrativo respondet eique subiungitur: *in hoc... quod*, «en esto precisamente.. en que (=es a saber)». Ceterum indicativo vel subjunctivo construitur prout scriptor propriam vel alienam sententiam exprimere vult: «Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos». (Cic. de or. 1, 8; cfr. RIEMANN, *Syntaxe latine*, § 172).

11) **Naturam... sequimur.** — Caput unde omnem de vita et de moribus doctrinam Stoici ducebant quibus deus natura erat, et virtus «secundum naturam vivere».

12) **A qua.** — «a natura esse neglectum»..

13) **Veri simile.** — *Similis, dissimilis, a finis* cum dativo adhibentur; aliquando cum genitivo, semper cum pronominibus personalibus; semper etiam dices *veri similis*.

14) **Ceterae partes.** — Belle hic Cicero vitam hominum dramatico poëmati comparat cuius partes unusquisque homo, dum vivit, scribit; ultima vero pars est senectus.

15) **Descriptae sint.** — In perfecto subjunctivo, quia non ab infinitivo (*neglectum esse*), a quo pendet, regitur, sed a verbo primario (*veri simile est*), quod saepe evenit in subjunctivis ab infinitivis pendentibus; quamquam multae sunt exceptiones praesertim si infinitivus in praeterito perfecto est. «Negavi me unquam commissurum esse ut jure reprehenderem». (Cfr. LLOBERA, *Gramática clásica latina*, n.º 351. II).

16) **Esse neglectum.** — Completiva infinitivi oratio quae vices subjecti gerit locutionis impersonalis *veri simile est* (cfr. RIEMANN, § 183, 1.º)

17) **Sed tamen.** — Locutio quae saepissime praecedentem orationem restrinquit atque in transitionibus usurpatur: «Por lo demás, por otra parte, sin embargo».

18) **Necesse fuit.** — Romani pressius perfectum in narrationibus usurpant, nos vero saepius imperfectum: «Lucius Catilina... fuit (=era) magna vi et animi et corporis». (SALL. Cat. 1, 1).

19) **Aliiquid extremum.** — Orationem ita dispones: «Necesse fuit esse aliiquid extreum et quasi vietum et caducum maturitate tempestiva tamquam in arborum bacis et fructibus terrae»...

20) **Sapienti.** — Persona agens quae *dativo* effertur, nam a forma periphrastica *ferendum est* pendet.

21) **Quid est enim.** — Rectius hanc comparationem suo ordine dispones: «Quid est enim aliud naturae repugnare nisi gigantum modo bellare cum dis»...

JESUS ASPA, C. M. F.

# De variis pila ludendi generibus

**Criquet.** — Lusionis pilaris genus apud Britannos maxime usitatum a duabus catervis, quae ex undenis constant lusoribus, exercetur. Ludi campus est planus. Hinc inde portarum tractus, qui XX metra distant et longitudine sunt metrorum duorum cum duabus centesimis (m. 2,02), notati sunt. In cuius tractus medio positae sunt portae, i. e. tres pali duo centimetra crassi et fere LXX centimetra longi humi infixi sese interque septem centimetra distantes, quibus palis duo transversaria X centimetrorum longitudine sunt superimposita. Altera manus portam suscipit defendendam, altera incursio- nem parat. Caterva defendens singulis portis adjungit pilicrepum, qui planam clavam aut palam manibus tenet. Aggressurus vero manipulus alteram portam pilario, alteram portario demandat. Pilarius autem pilam in obversam portam jacit, adstantis defensor pilam conatur repercutere. Tum defensor, si prospere ei contigit, ut pilam repercuteret, cum suae factionis pilicrepo contra stante locum perniciiter mutare gestit, quamdiu pila in effectu i. e. in campo est. Quae locorum vices totiens repeti possunt, quamdiu aggressor inter lusorum cursum portam non everterit. Prospera autem locorum permutatio, qui cursus appellatur, pro puncto valet. Inter ejusmodi cursus aggressorum est debitum pilam nancisci et ejus ope portam everttere. Quodsi eis contigerit aut pila jaculatoris ita portam tetigerit, ut haec corruat, pilicrepo secedendum est e campo atque in ejus locum aliis succedit. Secedendum quoque est, cum pila ab ipso jacta ab aggressore sublimis e volatu capitur, cum ipse portam evertit aut aggressorem quemdam prohibet. Portarii autem est pilas longinquas intercipere et pilicrepo currente portam everttere. Post pilarii ictus quinques factos locus ad portam alii traditur obtinendus: Defensorum autem partes actae sunt, cum omnes factionis ejusdem lusores munus pilicrepi expleverint et e campo exterminati aut exclusi sunt. Certamen comprehendit duas cujusque factionis defensiones «per duas vices alternatas» (bis alterna vice). Per quod tempus quae factio plurimos confecerit cursus, declarabitur victrix.


Quod pila ludendi genus haud inficete *opiduli ludus* appellatum est, quia ejus ratio in portae veluti parvi oppidi tamquam arcis expugnatione sita est. Cum vero summam postulet agilitatem et exercitationem animique praesentiam, praeter Britannos in aliis terris tantummodo a professionalibus colitur. Pila autem CC grammata pendens est confecta ex corio, quod nucleus subereum funiculis obvolutum contegit. Clava, qua pila protruditur, est lignea et in palam rectangularem latitudine X centimetrum cum LXXV centesimis excurrit.

JOSEPHUS HOLZER, Rector

Lebachii.

# Nova et Vetera

Mons



1. Atque montanum tibi conspectum, amice lector, offert adjuncta tabula hujus Commentarii nostri «sektionis», NOVA ET VETERA. Mons tanquam tumor est terrae altissimus, ab eminendo ita dictus. Aër purus putus in sublimitate, una cum hodierno hominum studio «alpinistico», maxime in montium naturaeque rerum aestimationem montivagos contulit.

Immo et antiquis Latii incolis erant in corde rerum spectacula montanarum. Hinc illa fortasse nata de montibus effata: «Montes et maria polliceri», quod leges apud Sallustium (*Cat.* 23, 3). Atque illa percelebris vox: «Parturient montes, nascetur ridiculus mus» (*Ars P.* 139). Quod de iis dicitur, qui magna promittunt, jaētant, prae se ferunt, minantur, ut ait Phaedrus (4, 22), extricant nihil.

Montes magis notos in classica antiquitate, et Latina et Graeca, his commodum versibus Ovidius, uno quasi conspectu, profert nobis recolendos:

« . . . Silvae cum montibus ardent,  
 Ardet Athos Taurusque Cilix et Tmolus et Oete  
 Et tum sicca, prius creberrima fontibus, Ide  
 Virgineu·que Helicon et nondum Oeagrius Haemus.  
 Ardet in immensum geminatis ignibus Aetna  
 Parnasusque biceps et Eryx et Cynthus et Othyrs  
 Et tandem nivibus Rhodope caritura Mimasque  
 Dindymaque et Mycale natusque ad sacra Cithaeron.  
 Nec prosunt Scynthiae sua frigora; Caucasus ardet  
 Ossaque cum Pindo majorque ambobus Olympus  
 Aeriaeque Alpes et nubiler Appenninus» (*Met.* 2, 216-226).

2. De montibus vero eorumque elementis, cum simplicibus tum compositis, plurimum ars et scientia curant atque disserunt Geographiae autem pars quae de montibus est, «orographia» vocari apud sapientes consuevit; pars vero Geologiae quae de eorum origine seu formatione disputat, «orogenia».

Uno igitur oculorum i&t;tu in pictura vides praecipua de re montana, quorum quidem nomina latine et hispanice tibi, commodi gratia, propono, addens illico et non nullorum codem pacto nomina montium.

1. <i>Sierra</i> , praerupti montes	10. <i>Cumbre</i> , jugum, i
2. <i>Pico</i> , acumen, inis	11. <i>Collado</i> , clivus, i
3. <i>Ladera</i> , declivitas, atis	12. <i>Nudo</i> , nodus, i
4. <i>Puerto</i> , angustiae, arum	13. <i>Estribo</i> , monticuli, orum
5. <i>Cresta</i> , cacumen, inis	14. <i>Cerro</i> , tumulus, i
6. <i>Circo</i> , circus, i	15. <i>Muela</i> , molaris mons, tis
7. <i>Peña</i> , rupes, is	16. <i>Precipicio</i> , praecipitum, ii
8. <i>Ventisquero</i> , *gelarium, ii	17. <i>Colina</i> , collis, is
9. <i>Desfiladero</i> , pylae, arum	18. <i>Falda</i> , montis radices, um

<i>Aetna</i> , <i>Etna</i>	<i>Libanus</i> , <i>Líbano</i>
<i>Alpes</i> , ium, <i>Alpes</i>	<i>Olympus</i> , <i>Olimpo</i>
<i>Antilibanus</i> , <i>Antilibano</i>	<i>Parnasus</i> , <i>Parnaso</i>
<i>Appenninus</i> , <i>Apenino</i>	<i>Pindus</i> , <i>Pindo</i>
<i>Atlas</i> , antis, <i>Atlas</i>	<i>Pyrenaei</i> , orum, <i>Pirineos</i>
<i>Caucasus</i> , <i>Cáucaso</i>	<i>Taurus</i> , <i>Tauro</i>
<i>Cebennae</i> , arum, <i>Cebenas</i>	<i>Vesuvius</i> , <i>Vesubio</i>
<i>Jura</i> , <i>Jura</i>	

3. Et animo nunc terram respice, quae vastas hic planities, tanquam spatiosa aquora campi, tumulos ibi atque eminentes colles habet. Alibi sunt fragosa loca; immo et alti montes, profundaque valles, arduae et abruptae rupes, praecipitesque hiatus. Hic herbidos cespites videre potes; ibi arida glabreta; alibi udas, humorem perpetuo liquantes, uligines.

Quodsi tellus excavata est altius, fossa; si brevius dumtaxat, scrobs dicitur; si vero oppido profunda, vorago, barathrum vel abyssus. Angustiae autem viarum inter montes fauces, pylae vel claustra appellantur.

Montis praecipuae partes sunt jugum seu cacumen, vertex, supercilium; latus ejus dorsum, seu clivus vel etiam collis; radix pes; grumus terrae cutis atque tuber. Vena tractus est montis subterraneus, qui quidem metalla, industriae quasi fundamentum, continet. Intervenium spatium est inter venas medium, quibus fibrae transverse incumbere solent.

Montem vero ascensu facilem acclivitas, descensu declivitas, unde mons acclivis et declivis, facit. Praeceps est, si in utroque difficilis, ibique praecipitum adest. Campus terrae est planities ampla; silva locus arboribus sponte nascentibus fre-

quens; arbores sacras, apud antiquos Romanos, lucus servabat; nemus voluptati inservit, saltusque pascendis pecoribus opportunus.

Locus ubi lapides exsiduntur, latomia dicitur; ubi aliquid effoditur, fodina; unde aurifodina, aeraria, nitraria, sulphuraria, cotaria. Interiora tandem si daretur intueri terrae, videres meatum plenam et specuum, ubi lustra, cryptae, cuniculi, antra, foveae et cavernae. Quarum quidem spiramenta vel spiracula crateres dicuntur.

Sed haec hactenus. Nunc quaedam, appendicis ergo, de phraseologia rei montanae ac naturae.

4. Orbis terrarum, terrae: *el globo terrestre*

(Terra) continens: *el continente*

Interior Europae, interiora Europae: *el interior de Europa.*

Sinus urbis: *el corazón de la ciudad*

Terra effert fruges: *la tierra produce frutos*

Animata inanimaque: *la naturaleza animada e inanimada*

Ea quae terra gignit: *las producciones del suelo*

Radices agere: *ebhar raíces*

Montes vestiti silvis: *montañas sembradas de árboles*

Loci silvestres: *selvas*

Vertex montis: *la cresta de la montaña*

Culmina Alpium: *la punta de los Alpes*

Sub radicibus montis: *al pie de la montaña*

In infimo monte: *al pie de la montaña*

Superare, transcendere Alpes: *franquear los Alpes*

Altissimis montibus undique contineri: *ser limitados por todas partes de montes muy altos*

Collis leniter ab infimo acclinis: *colina de subida suave*

Collis leniter a summo declivis: *colina de bajada suave*

Loca edita, superiora: *la altura*

Regio aspera et montuosa: *región escarpada y montañosa*

Loca plana: *la llanura*

Saxa praerupta: *rocas escarpadas*

Loca inculta: *regiones incultas*

Loca deserta: *la soledad*

Loca frequentia: *lugares poblados*

Loca amoena, vel amoenitates locorum: *paisajes amenos*

Inter silvas Academi: *en el parque de Academo*

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# De prosae orationis Certamine IV (MDCCCCLII) quod a Capitolio nuncupatur

In aedibus Capitolini, amplissimo in conventu, quo dies Urbis Natalis celebratus est, Romanae civitati Praefectus exitum Certaminis Capitolini coram exterarum nationum nostraeque legatis et civibus de more renuntiavit, qui plurimi auditum convenerant, quae vir doctissimus Aldus Ferrabino, scite et eleganter, ut est rerum Romanarum peritissimus, dicturus esset de fabulis ac miraculis, quibus nobis memoria ultimae Urbis originis ejusque conditorum est tradita.

De quo certamine in primis dicendum est nullum: a quinqueviris judicium factum esse de omnibus fere libellis, quibus Latinitatis studiosi viri exterarum nationum certamen adiverunt, cum eorum alii antea in lucem scriptum suum evulgavissent, pars haud satis diligenter servavissent, quae petitoribus praescripta essent.

Quod quidem moleste tulit Institutum Romanis studiis provehendis, praesertim cum sit in hujus Certaminis Actis quintam fere libellorum partem ab exteris nationibus missam esse; accedat huc praeterea quod justa est causa quare nonnulli eorum haud tenui Minerva exarati esse videantur.

Quomodo de libellis judicatum sit paucis absolvam.

Quam variis diversisque orationum generibus hoc anno certatum sit, nemo est qui non videat, libellorum modo titulos attingat. De re publica alii disputaverunt, alii scite de philosophis scriptoribusque cum veteris tum nostrae aetatis disceptaverunt; partim, ornato et dulci genere dicendi delectati, narratiunculas fictasque finxerunt fabellas. Fuerunt qui tum ironice, tum graviter de rebus ad vitam et ad mores nostrae aetatis pertinentibus tractarent; fuerunt denique qui libellos mendose effutisset vel nugis refertos.

Quaerat quispiam quatenus petidores expectationem expleverint certaminis, quod «praestantium ingeniorum nova experimenta» requirit. Estne unde dicamus debita omnino soluta esse? Quamquam nihil prorsus causae est quare id probe dici possit —licet operam enixe navaverint petidores— at ne infitietur quidem id quisquam.

Cujus rei hanc potissimum, neque omnibus satis perspicuum, causam putamus fuisse, quod in hujus generis certaminibus non sine aliquo negotio fuit materiam invenire, de qua disputaretur; plurimi enim petitorum adeo in invenienda re laborem irritum profuderunt ac perdiderunt, ut opuscula eorum testimonium se exhibeant solum summae virium contentionis nec non et probabilis peritiae cum linguae, tum sermonis Latini; admodum pauci, cum frustra ac diu in tricis morati essent aliisque alia periclitati essent, nihil aliud sibi relictum esse senserunt, nisi ut in somnia confugerent. Nimirum in somniis et in hujusmodi orationibus cuiusvis generis res facile includuntur.

Attamen opuscula non defuerunt, quae vel scriptorum ingenii praestantia, vel egregia quadam imaginandi vi, vel dicendi saltem peritia, ceteris antecellerent; quorum in numero haec fuerunt, quae litterarum ordine exhibentur: Ardeo. - *De Italorum in adversis rebus concordia.* - *De floribus.* - *De Medii aevi reipublicae navalii victoria ejusque vate.* - *Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna.* - *Europae consociandae animadversio.* - *Horatiana.* - *Iter Bithynicum.* - *Mater infelix.* - *Laboravi fidenter.* - *Oratio in Milonem.* - *Otium Castrense.* - *Pennae nido majores.* - *Plautus redivivus.* - *Quomodo afficiantur qui oblectationis causa montes peragrant.* - *Suam quisque patriam magnopere amat.* - *Vincentii Ussani Manibus.*

Horum omnium auctorum primam meruit laudem MARIUS PINTO Salernitanus, qui opusculo, cui index *Iter Bithynicum*, certaverat; alteram vero MICHAELANGELUS PETRUZZIELLO Salernitanus et ille, libello qui *Mater infelix* inscribitur.

Haec denique opuscula, prout leges certaminis postulant, digna habita sunt quae publice laudarentur: CASPARIS ADRAGNA *Suam quisque patriam magnopere amat.* - HUMBERTI BOELLA *Quomodo afficiantur qui oblectationis causa montes peragrant.* - JOSEPHI MORABITO *Pennae nido majores.* - JOACHIM PETROLI *De floribus.* - JOANNIS BAPTISTAE PIGATO *Plautus redivivus.* - IGNATII POMA *Vincentii Ussani Manibus.*

Duo primi praemia praeposita acceperunt: primus argenteum sigillum lupam Capitolinam praestanti arte imitatum, argenteum nummum alter.

GUERRINUS PACITTI

*ab actis*

## CERTAMEN CAPITOLINUM V (MDCCCCLIII)

In aedibus Capitoliniis Romanae civitati Praefectus a. d. XI Kal. Maj. MDCCCCLIV renuntiavit *Praemio Urbis eloquentissimum virum Ignatium Poma ornatum esse*, qui libello, cui index *Nox Panormitana*, Certamen Capitolinum adiverat omnibus omnium gentium sermonis Latini studiosis propositum; Aldum Bartalucci, Joachim Petrolli vero victori proximos de agone discessisse, quorum alter libello c. t. *Convivium*, alter libello c. t. *Nubes* certaverat.

Ad haec Certaminis judices dignos habuerunt qui publice laudarentur doctissimos viros, quorum nomina litterarum ordine exhibentur: Caspar Adragna, Albertus Albertini, Goodwinus Beach, Aloysius Guercio, Hyacinthus Gualtieri, Paulinus Menna, Josephus M.<sup>a</sup> Mir C. M. F., Josephus Morabito, Amadeus Pacitti.

De quo certamine plura, si licebit, alias.

GUERRINUS PACITTI, *ab actis*

# Reati Damasi Summi Pontificis epistulae

Novem sunt epistulae hujus egregii Pontificis ab ipso vel a Patribus conciliorum, quibus ipse praefuit, scriptae. Earum aliae ad nos integrae pervenerunt, aliae vero mutilae exstant.

Prima, sacra synodo Romae congregata, cui Damasus Papa primo praefuit, conscribitur, omnibusque mittitur Orientis catholicis Episcopis. In ea compertum esse narratur:

•Nonnullos non haeresis studio, neque inscitia vel ex simplicitate quadam saevis interpretationibus aestuantes, non satis dispicere, quae magis patrum nostrorum sit tenenda sententia, cum diversa concilia eorum auribus ingerantur. (Ep. I, P. L., XIII, 348).

Quare et Auxentius Mediolanensis Episcopus condemnatus est. Denique Orientales Episcopos hortatur ut haereticorum hominum errores carentes, fidem Apostolorum, quam Nicaeni Patres defenderunt, constanter teneant:

•Quemadmodum enim poterunt corrigerre errata populorum, si ipsos error obsederit? (Ep. I, P. L., XIII, 349)

Secunda vero epistula duobus constat fragmentis quorum unumquodque fortasse in diversis conciliis scriptum est quae, Damaso Papa praeside, habita sunt; eaque fragmenta ad catholicos orientales, propter perturbationes temporibus Valentis Imperatoris suscitas, suo tempore perferri non potuerunt; quae tamen postea, cum in magnum coetum convenienter Episcopi, simul legerunt et, quod illis praecipuum visum est, excerpserunt ut concilii Actis intexerent. Omnis horum fragmentorum cura in hoc posita est ut omnium divinissimum mysterium sanctissimi viri confirmarent, id est, Sanctissimae Trinitatis consubstantialitatem:

•Absit ut fides pura variis coloribus adsuatur. (Ep. II, P. L., XIII, 352).

In fine Sanctae Synodi Patres sollemnia fidei verba in epistula allata subscribunt:

•Meletius, Episcopus Antiochenus, consentio omnibus suprascriptis, ita credens et sensiens: et si quis praeter haec sentit, anathema sit. (Ep. II, P. L., XIII, 353).

Tertia epistula series incipit epistularum ab ipso Damaso scriptarum eaque ad Paulinum Orientis Episcopum mittitur, qua eum adhortatur ut aduersus haereses forti animo pugnet.

Hanc magna fidei professio in viginti quatuor articulos divisa consequitur, quam alii scriptores superiori epistulae adnumerant, alii quasi novam putant. Illis articulis breve prooemium praemittitur:

•Post Concilium Nicaenum quod in Urbe Roma concilium congregatum est a catholicis Episcopis, addiderunt de Spiritu Sancto. Et quia postea is error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere Spiritum Sanctum factum esse per Filium... (Ep. IV, P. L., XIII, 358).

et tum verbo «anathematizamus» tum verbis «si quis» incipiunt. En aliquam exempla:

•I. — Anathematizamus eos qui non tota libertate proclamant, cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiae. •

•VI. — Anathematizamus eos qui duos Filios asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine. •

•X. — Si quis non dixerit semper Filium et semper Spiritum Sanctum esse, anathema sit. •

•XVIII. — Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam, aut per Filium factum, anathema sit. (Ep. IV, P. L., XIII, 358-363).

Post viginti quatuor fidei articulos ea sequitur epistula quae Acholio ceterisque Macedoniae Episcopis data est. In ea ordinationem episcopalem cuiusdam Maximi Cynici Divus Damasus vehementer improbat atque conqueritur:

•Sed quid altud facere debuit improbitas hominum levissimorum, quam ut expulsi Ecclesia, intra parietes alienos ambientem, quantum intelligi datur, inquietum hominem ordinarent? • (Ib. col., 366).

Et simul adhortatur ut in proximo Concilio Constantinopolitano dignus Episcopus deligatur:

•Sinceritas vestra det operam quemadmodum praedictae civitatis Episcopus deligatur, qui nullam habeat reprehensionem. (Ib., col. 368),

neque aliquid immutetur de institutis majorum Episcopos transferendo de alia ad aliam sedem episcopalem:

•ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transducit, et deserere plebem sibi commissam. (Ib., col. 368).

Eidem Acholio, Episcopo Thessalonicensi, sextam epistulam scribit, Rusticum obsecrans ut commendatum habeat,

•ut Deo propitio in peregrinatione constitutus intelligat se a consacerdotibus Dei et diligi et honorari. (Ep. VI, P. L., XIII, 370).

Denuo ordinationem Maximi conqueritur:

•rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam ut de cetero catholicus constituatur, cum quo nobis Deo propitio, possit pax perpetua perdurare. (Ib., col. 360).

Habemus preterea Epistulam Episcopis Orientis, qui praeerant, missam, quae et Graece reddita exstat.

Veniamus nunc ad epistulas, quas Damasus beato Hieronymo scripsit, qui quidem Summo Pontifici magno fuit usui in multis rebus, et cuius operam magnopere adhibuit quo tempore ejus consiliis Romae utebatur. Earum primam, cum brevissima sit, totam hic afferre placet. In ea Summus Pontifex Sacrarum Scripturarum virum peritissimum obsecrat ut sibi, quid apud Hebraeos verbum «hosanna» valeat, interpretetur.

•Commentaria cum legerem Graeco Latinoque sermone in Evangeliorum interpretatione a nostris, id est, orthodoxis viris, olim ac nuper scripta de eo quod legitur. «Hosanna Filio David», non solum diversa sed etiam contraria sibimet proferunt. Dilectionis tuae est, ut ardentि illo strenuitatis ingenio, abscissis opinionebus, ambiguitatibusque supplosis, quid se habeat apud hebraeos vivo sensu scribas ut et de hoc sicut et de multis, tibi curae nostrae in Christo Jesu gratias referam. (Ep., VIII, P. L., XIII, 371).

In altera, Summus Pontifex eximium Scripturarum Doctorem belle hor-tatur ut scribat:

•Dormientem te, et longo jam tempore legentem potius sribentem, quaestiunculis ad te missis excitare dispositus: non et quod legere non debeas, hoc enim veluti quotidiano cibo alitur et pingue scit oratio: sed quod lectionis fructus sit iste, si scribas» (Ep. IX, P. L. XIII, 371-372)

Narrat quam sibi gratissima ejus sint scripta eaque majore aviditate le-gere quam opera clari v. Lactantii:

•Fateor quippe tibi, eos quos mihi jam pridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego quia et plurimae epistulae hujus usque ad mille spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant: quo fit ut et legenti fastidium generet longitudo; et si qua brevia sunt, scholasticis magis sint apta quam nobis, de metris, et regionum situ et philosophis dis-putantia» (lb. col. 373).

Tandem Sacrae Scripturae responsa ab eo requirit:

•I — Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est: omnis qui occiderit Cain, septem vin-dictas exsolvet... cet. (lb. col. 373).

Et jam, ut finem faciam, tantum memorare liceat alteram fidei catholicae profesionem in Concilio Romano, cui Damasus praefuit, editam.

Ex quibus omnibus infertur Beati Damasi epistulas, etsi scriptorem omnibus numeris perfectum non expromant, tamen quo amore studia litterarum coluerit atque propagaverit, plane nobis monstrare (1).

JESUS ASPA, C. M. F.

## Commercium epistulare

(Cfr. quae de *Curtio puero*, n. 144, p. 151, sunt scripta)

*Andreas Avenarius S. V D. Joseph Mirio C. M. F. S. D.*

Brevem propere accipe respcionem. Joseph Holzer, gymnasiarchus Le-bacensis, ipse se quondam, quo jure me ego Avenarium, Xylandrum fecerat; *Lignarium* se potuit velle cognominari, quoniam, quod Germanice *Holz*, «lig-num» Latine, «xylon» Graece est. Et fuere aliqui majoris auctoritatis viri in linguae Teutonicae provinciis, qui eo vocabantur nomine *Xylandri*. Tum ve-ro Holzer noster a quodam sibi noto viro admonitus, ne nimium sibi sumeret, neque sibi appropriaret majorum virorum nomina, a Xyandro abstinere coepit, parum considerate, parum constanter, ut ego interpretor; nam hoc pacto nemini jam liceat proloqui vim et significationem sui nominis, si casu illa significatione memoria reviviscat alterius filii Adae. Et hactenus quidem de *Xyandro*.

Propero ad vocabula illius elucubratiunculae, quam ad te dederam luctus

(1) Sancti Damasi epistulas apud MIGNE in volumine XIII LATINAe PATROLOGIAE inscriptas inventes prout A. M. Merenda, Romae, anno 1754 eddit.

tenuandi manifestanda equa causa amicitiae. Non te fugiet, opinor, hodie ad diem Christi natalem filios familias multo majoribus a parentibus donari ludicris, quam nostri parentes praebebant nobis, pauperes parvo felicioribus. Et ita haud raro conspicias inter illas strenas parvam *ferriviam* cum omni *publicorum currum* apparatu. Hic opus in primis aedificiis illis, apud quae *tramina* [*trenes*] consistunt, ubi emuntur *tesserae vectoriae* [*billetes*], ubi vectores expectant adventus traminum et abitus. Quae tu aedificia etiam *stationes* dicas. Significantius tamen dixeris illis pueris emi ad *currus* [*coche*] vel *carros* [*vagones*] et *vaporiam* (*motricem machinam*) [*máquina*] *stationales aedes*. *Rotalia* esse volo quae sunt Gallice, Anglice atque adeo Hispanice *ratis*, quibus irrotantur *currum ferriviatorum* rotae —nam ita prorsus existimo «*rails*» ab Anglis ex rotis petita—, et *orbilia* et *orbitas* aliarum rerum excitare spectra, quam illas ferreas perticas quibus in solo defixis lapsus lenitur rotarum. Porro *rotalia mobilia* —nam sic vocant Galli— ego feci *mutatoria* (substantive dumtaxat et pluraliter) quoniam his —vestris «*agujas*»— cursus traminis mutatur, in aliud *curriculum* [*línea*] traducitur. (1) *Lumina* [*discos*] praebut pro «*Lichter*» et significantur, vel *po'ius* parum significantur *semaphora* illa, haud scio an etiam *mali signalis* vel *significativi mali*, vel *semanteria* vel *semanticæ* (arbores) esse possint. *Receptacula* sunt mercium et supellectilis ferriviariae horrea, *vestra* «*deposita*». *Vitrata loculamenta* sunt vestri «*escaparates*», eademque liberius quidem, sed fortasse non nimium insulse *ostentationes*, id est *monstrationes* «*muestras*», voco, siquidem istis in loculis ostentantur res venales. Quodsi quem moveat, quod vocabula exeuntia in «*-io*» actionis potius sint vocabulo quam loci, responde et nos sic doctos a grammaticis, sed legisse etiam *cenationem* et *ambulationem*, loca, ubi cenatur vel ambulatur. Sic nulla mihi religiost, quin locum, ubi merces a mercatoribus ostentantur, *ostentationem* appellem, quam vitro muniri oportet, ne, quod ostendatur oculis praetereuntium admoveatur digitis et tactui. *Gausapum* esto «*capote*», «*capa*», vel «*sobretodo*» manicatum si erit.

Discipio scilicet legere, quae habueris de «*indigenis*» qui mihi *enchorii*, vel *endemicci*, vel *autochthones*, vel *interni* placent; conabar, Romae dum fui, enchorios, sed ave sinistra. —Memini etiam in quodam meo scripto abhinc annos circiter viginti tactam «*guttam per cham*» esse, et erit non facile aliud nomen invenire pro hoc spissifluo gummi, neque necesse esse censeo in voce internationali ex ore Malesianorum ab Anglis excepta. —Quae tamen Xylander offert vocabula tribuenda illis lusibus, sic pone in *PALAEASTRA* tanquam temptamina ultro cedentia melioribus. Aperte enim dico me minus novisse istos ludendi modos, multoque minus inventurum esse idonea eis cognomenta. Hortare per *PALAESTRAM* socios, ut, quae meliora viderint in medium proferant.

Vis frigorū a me feliciter depulsa est, vapores calidos mittente per clavia hypocausi. Raucitas, quam contra gelidos ventos eentes traxeramus, nulla adhibita medicina soluta est, sed in praesens premimur molestia den-

(1) Accipio *lumina* et *semaphora*; cetera non satis placent (J. M.).

tium et unguium pedalium et perpetuis diversisque occupationibus. Hoc nisi ita esset putasne futurum fuisse, ut nulladum consiperetur linea e manu Avenarii profecta in Latinitate? Vale. Ex S. Augustini, Idibus Febr.

*Andreas Avenarius P. S. V. D. Joseph Xylandro gymnastarcho S. D.*

Cum, quo die haec scribebam —et fuit is dies a. d. V Idus Februarias— tacitae delaberentur ex alto nives, hebdomada superiore frigoribus et stagna congelaverant, et in fenestrarum vitris congelaverant vapores. Et scis, quid nominis indere soleamus Germani illis figuris glaciatis, ubi primum mane calidis enisi lectulis conspeximus: Adeo descendisse sub zerum thermometrum, ut etiam fenestrae «floribus» obducantur «glacialibus». Nam sunt nobis illi flores «Eisblumen».

Et temptabam equidem his floribus indere nomen Latinum, findens, quae ad manum sunt, lexica, non modo Latina, verum etiam Graeca, Gallica, Italica: frustra universa. Ne ille quidem, qui tamen copiosus esse solet in recentioribus vocabulis, Duden Italicus, suppeditavit quidquam.

A me ipso igitur repetenda, si quam cuperem, vox. Cogitanti occurunt *plumae* et *plumatilia*. En, inquam, dum me doctiores me doceant propiora, istas ego congelationes et figuras nominabo «*plumatilia fenestrarum*», et conquerentibus de hujus hiemis acerbitatibus et rigoribus statim accinam —nam cupiunt querulosi idem a nobis inflari cornu— etiam fenestras jam *plumari* totos dies. Sed tua simul meliora expetenda decreveram. Quae si data occasione rescriperis, feceris scilicet gratissimum.

E S. Augustini majore seminario et urbis Bonnae vicinitate. Vale.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir CMF. Dri. Jos. Holzer sal. pl.*

Tuas libenter accepi litteras quibus luculente difficultates enodasti; illis scriptio «de variis ludendi pila generibus» annexebatur.

Et est cur tibi gratias referam maximas quod, valetudine tua nondum integra, iterum in PALAESTRAM contendis. Te tamen de ludis disserentem —liberius dicam?, amico indulgeas!— minus probavi quod veterem, qua ingressus eras in «Societate Latina» (a. 1938, II, p. 20), viam deseruisti et aliam a Dre. Padberg-Drenkpol («Soc. Lat.» 1939, III, p. 48) praemonstratam tentasti. Illa, ut ego opinor, clariora erant verba et ad Latinitatis naturam et colorem proprius accedebant, hisce novis Graecis vocabulis si jam res ex sese parum dilucida, verbis timendum ne obscurior fiat. Hoc ipso cursu tabellario ad Patrem Avenirum scripsi eumque rogavi ut mutuo vobiscum, re iterum perpensa, quid de his vocabulis sentiatis, communicetis.

Ego vero vobis auctor sum ne veterem, *quoad res sinat*, rationem deseratis atque prae oculis, quid Moderator Societatis Latinae in Dris. Padberg-Drenkpol scriptionem ad calcem indicaverit, quid Dr. Lurz ibidem, a. 1940, I, p. 2, quid Dr. Lis a. 1940, II, p. 25, quid denique tu ipse scripseris, habeatis.

Integritatem puri sermonis Latini —ut Dr. Lis peracute monuerat— totis servemus viribus.

Quod si utriusque vestrum una erit sententia, vobis morem gerere curabo, sed, edita tua lucubratione, si qua detur nova via in quibusdam novis verbis propositis, fortasse tentabu.

Sed ne in legentium animos —si postea quaedam fuerint retractanda— dubitationem ingeramus, optandum ut prius cum P. Avenario rem conferatis.

Voluntatem, quam erga nos habuisti propensam, conjunctiorem servemus.

Cogitaram, novo ineunte anno, donum ad te mittere; quo vero te alio gaudere dono quam illo lexico Hispanico! —aliud sane in mente non venit—. Illo diutius libertique utere animo.

Fac nostri memineris! Vos vestraque fortunet amplissime Dominus! Valete. Barbastro, pridie nonas februarias, anno 1954.

*Andreae Avenario, Patri amicissimo, Josephus Holzer Lebacensis sal. plur.*

«*Plumatilia fenestrarum*» legenti mihi conjectae sunt in animum plagulae illae, quibus fenestrarum lumina obscuramus, cum «*plumatilia*», si recte video, primum de textilium dicantur genere plumarum speciem p[re]se ferentium. Eandem interpretationem offendi apud collegam, qui cum a me interrogatus esset quemnam sensum subiceret sub hac propositione: «*Fenestrae plumatilibus obductae sunt*», illico oppido sine cunctatione respondit: Videtur idem significare, quod «*Fenestrarum lumina paventibus sunt obiecta plagulis*». Nescio tamen an texta plumatilia ad plagulas conficiendas adhibeantur. Neque quemquam puto primo obtutu aut auditu sub «*fenestrarum plumatilibus*» intellegere humores halitu in vitreis fenestrarum quadraturis collectos et mirum in modum glaciatos, quos hieme usque hisce in regionibus admiramus, saepe propter frigus omnes artus trementes. Cur «*flores glaciales*», mi Avari, recusas usurpare? Id utique scire velim. In *Juventute* videlicet Budapestina aliquando me memini legisse illud naturae daedalae ostentum idem habere nomen, quod supterefugere gestis. Quid tergiversaris? Docti Celtiberi habent «*flores de escarcha*» [frequentius fortasse «*cristales de hielo*»], vividis Gallis «*fleurs de givre*» in usu sunt. Concedo quidem saepenumero fieri, ut illae glaciei incrustationes plumarum induere videantur formas, sed non semper ita est. Propterea meo humili iudicio tum tantummodo de *plumatis* incrustationibus sermo esse potest, cum re vera *plumarum* instar sunt. «*Plumari*» certe insolens est atque audax, mihi crede, translatio et solum e contextu intelligibilis. Verumtamen si forte plumarum designationes absunt, haec tecum cogita, quae tibi ad manus do: «*Obduci fenestras allassontibus glaciei crustis*», «*incrustari quadraturas crystallo*», «*vestiri eas floris glaciei crustis*». Equidem hercle non video, cur «*flores glaciales*» improbaveris. Significatissima est dictio. Edepol vero maneat.

Haec hactenus. Evidem gaudeo beatus, quod gelidum frigus se remisit

et tempus brumae asperrium senescit versibus Geibelianis ex Hermanni  
Velleri interpretatione interim in memoriam revocatis;

•Jam licet acris hiems funesto saeviat imbre;  
Post frigus rigidum tempora veris erunt.

Cura, ut valeas.

Lebach, Kal. Mart. a. MCMLIV.

## Amico amicus

Quid dicam de *dictionario illo generali illustratoque*, quod mihi tua pro benignitate incredibili donasti? Gratias tibi ago et quamdiu hanc vitam egero, habebo. Impresentiarum quidquid ingenii est, si quid est, quidquid studiis atque occupationibus ordinariis detrahere possum, me scito in PALAESTRAM LATINAM mihi desideratissimam derivaturum.

Opportune etiam libellum de Divo Antonio Clareto, hujus aetatis apostolo Eucharistiae his temporibus tenebricosis lucidissimo tradidisti. Quo enim duce libello Carolum Alexandrum, filium majorem, qui proxima Dominica in Albis primum accessurus est ad sacram Synaxin, edocui, quantopere Sanctus Claretus Jesum in tabernaculo delitescentem adamavisset quantoque sacram Communionem paravisset animi fervore. Si adfuisses, mi Mire, videbas, quam attentissimo animo Alexander animo Eucharisticam rem prosequeretur tractantem. Atqui ipse sentiebam quantum in puerorum moribus christiane formandis umeris nostris impositum esset onus periculi plenum, illud divini Magistri in mentem revocans: «Sinite ad me venire parvulos!»...

Jam redire fas est ad athleticam rem. Scrupulos enim tibi injecerat, quod non in ea perstitti sententia, quam in «Societate Latina» dixeram. Sic mutatae sententiae afferre coactus sum argumenta. Post varias virorum doctorum disceptationes res ad eum perducta esse videtur eventum, ut *bothrosphaerisis*, *rhabdosphaerisis*, *antisphaeresis* ludis, de quibus inter alia in PALAESTRA LATINA acturus sum, nomina sint decretoria. Anno enim 1952 in «Societate Latina» propositae sunt *Symbolae ad vocabularium neolatinum*, quae ut tertia pars operis posthumus Dris. Lurtii, cui index: «Die moderne Lateinbewegung mit Proben neulat. Schrifttums und Beiträgen zu einem neulat. Wörterbuch», i. e. «de neolatino qui dicitur motu seu de causis et studiis linguae Latinae his temporibus adaptandae cum speciminibus scriptorum neolatinorum». Sic 1. 1. p. 8, legitur: «Fussball»: *podosphaera, follispedalis*; p. 9, «Golf»: *bothrosphaerisis*; eadem p. 9, «Hockeyspiel»: *rhabdosphaerisis*; p. 18. «Ski»: *solea pedalis, chionopedilum*; p. 19, «Sport»: *disportus, athletismus, res athletica*; p. 20, «Tennispiel»: *antisphaeresis*. — Hactenus Lurtius. Nihil igitur de *alsalegia*, nihil de *pilimalleo*, nihil de *taeniludio*. Vicit igitur sententia Dris. Padberg-Drenkpol. Rebus ita comparatis sententiamne meam mordicitus tenerem? Esset obstinatio et pervicaciae. Quapropter re denuo perpensa ad Lurtii descendit senten-

tiam atque id eo magis, quod ille vir honestissimus, antequam placita evulgaret, res in «Societate Latina» a negotiis delectorum conciliis vehementer ulti citroque agitare solitus est. Minus tamen *antisphaeresis* mihi probatur. Tenebo *taeniludium. Bothrosphaeresis*: - *bothrion* apud medicos occurrit. Est cavum dentis. Qua de causa non est cur non admittamus *bothrosphaeresim. Rhabdospheresis*: - En *rhabdi* usus apud Apulejum, *de mundo* c. XVI. «*Rhabdos* autem generis ejusdem ad *virgae perlóngum colorata nubecula dicitur*. Vides igitur magnis me inductum rationibus in «Societate Latina» a. 1940 p. 26 scripsisse: «*Rhabdosphera* significantiorem esse Avicennae *alsulegia*. Attamen cum tu, mi Mire, sis PALAESTRAE LATINAЕ moderator et sponsor, tibi quoque jus obvenit vocabula a conscriptoribus proposita aut probandi aut improbandi. Proinde hoc utere jure, uti tibi placet. Evidem non succensebo. Interim explicabo *malleorum ludum*.

His litteris adnectebam duo epistolia suavissimi Avenarii de *floribus glacialibus* (i. e. *flores de escarcha* (?) = *cristales de hielo*) aporiantis. *Plumatilia fenestrarum* ad artem spectant putidam et manu factam. Mihi non probantur. Loquatur ille scribatque de *floribus fenestrarum glaciatis* aut *glacialibus* et omnes puto intellegere, quid velit intellegi.

Vale! Deus O. M. Divaque Deipara Virgo tecum semper!

Lebach, Id. Febr., media nocte.

JOSEPHUS

## BIBLIOGRAPHIA

A. PENNA — *San Jerónimo*, Trad. J. Riera Simó, p. 464; Ed. Luis Miralles, Barcelona, 1952.

Ci. vir Angelus Penna, qui hanc beatissimam Hieronymi perscripsit vitam, non quidem laudationem sed historicam biographiam exarare est aggressus. Quare plane et sincere strictam Stridonensis formam profert, e documentis erutam sagaci ac diligentij judicio perpensis, ex quibus et factorum seriem et mentem illius praeclarissimi viri deduct.

Illam vero normam historicis a Tullio propositam «ne quid falsi audeat», ne quid veri non audeat» prae oculis habens, in contextu eventuum et hominem et virum sanctum, et interpretem et exegetam dilucide proponit ea qua fuit actione et opera admirabili, paenitentia singulari, voluntate firmissima suam in excolandis disciplinis vocationem fideliter insequendi. Neque vero illae acerrimae praetermundae erant controversiae generis acris et acerbis et interduin vulgaris, — magna quidem res et multae cautionis in pertractando —, quae quidem nativa sua acerbitate et libertate ab auctore exponuntur, quin tamen iudicio

nostrae severioris aetatis ponderentur, sed illo ampliore saeculi IV expenduntur. Et in ea nobili cum Rufino controversia ponderato et aequo procedit anno, inter utrumque concertatorem et auctoritatem dividens et rel periculum; quo et Rufini famam, adeo ab adversario in periculo constitutam, vindicat.

Eadem auctoritate et gravitate reliqua hujus clarissimi viri facta et opera — tanta attingentis ac pertractantis — ante legentium animos proponit; quae quidem scriptor singulis perstringit capitibus, quibus Hieronymum et interpretem et exegetam, et theologum et «ascetam» et mysticum exagitat et expedit. Ex omnibus unum arbitramur optimum caput quod de Hieronymo agit Sacris Litteris impense vacante.

Opus tabulis chronologicis vitae et operum distantur atque scriptorum et rerum indice. Per pulchra tabularum pictarum exempla librum exornant. Interpretatio optima est ac profluens. Hoc opere multi laboris et operae ci scriptor — quo perfecta et humana tanti doctoris forma nobis exhibetur — maximam laudem apud viros eruditos promerebit.

JACOBUS SIDRA. C. M. F.

lando, in colloquendo, in disputando in ludendo *aliisque in id genus sexcentis negotiis expediendis*.

Jam vero *hīs* plane **assentimur**, quae in *prooemio* de ipsa operis elocutione adnectit G. Schwieder: «Nihilominus latinitas hīc facilis quidem sed semper emendata, perspicua, profluens; haud raro Tulliana prorsus, aureae dixeris aetatis; saeplus ex inferioribus hausta scriptoribus; interdum ex novo plane excusa *idque nec sine causa nec sine arte*»

Totum vero opus, quod «Palaestrae Latinae» lectoribus maxime commendamus, quinque in libros dispescitur Liber primus est de rudimentis et primis studiorum initīs, et quo primum discipulorum inter se, deinde ipsorum cum praceptoribus colloquia continentur. Qui quidem XXVI colloquitis absoluitur (pp. 9-44) Liber secundus est de litterarum studiis rebusque eo pertinentibus et exercitationibus iudicris. Liber LVII colloquitis absoluitur (pp. 45-134). Liber tertius est de moribus *aliisque extra litterarum studia* actionibus. Eadem ratione LI adhibet colloquia (pp. 135-191). Liber quartus consequitur, qui de praceptis vel *hīs*, quae pro praceptis obtinet. LIV tibi colloquia offert (pp. 193-249) Denique liber quintus est de rebus gravioribus et quae iudicium postulant atque exercent. Qui XXV colloquitis absolvitur (pp. 251-324)

Haud omnino displicet operis Index (pp. 325-355). Id autem, nisi fallor, quam plurimum utilitatis, alumnis prae primis afferret, si vocabularium rerum praecipuarum amplectetur. Auctoris quidem toto capite vota annulimus: «Ab igitur opusculum meum, fidenter ab quoquoversus certum te esse animorum amicule colloquentium adjumentum, perge longe lateque per orbem et omnium, cum primis juvenum, animos flagrante incende et ale virtutum ardore. Nil enim pretiosius, nil jucundius, nobis nihil sibi exspectat Auctor».

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarragae in Ilerda Prov.

EMIL VETTER. — *Handbuch der Italischen Dialekte*. I Band: Texte mit Erklärung, Glossen, Woerterverzeichnis. Heidelberg, 1953. Carl Winter, Universitätsverlag

Liber maximi plane momenti magnique ponderis hīc; sed ex ipsa ejus modi doctrina materiaque, hīs fere elaboratus a clero Dre. Vetter est, qui ad imum quidem philologicam rem Romanicam callere exoptant atque intendunt. Est vero hoc primum operis volumen: textus nempe cum explicationibus, glossis et vocabulariis (pp. VIII, 447)

Atque incipit clarus rem scriptor studio scriptiorum Oscarum adhuc notarum, in quibus textus minutatim interpretari felici omne conatur. Deinde scriptioribus studet Oscis incolarum vero in septentriōne degentium: Palticinorum, Vestinorum, Marrucinorum. Consequuntur tum enucleanda varia scripta Volscorum, Marsorum, Sabinorum, Umbrorum, Faliscorum et Capenorum. Denique ad Latium quidquid pertinere videtur hac in re, sedulo auctor perstringit lecturisque facile intellegendorum viam aperit textorum.

Exstant insuper in ultima parte operis, cum glossas tum vocabula, mutuata ex Italicis dialectis. Solida autem cura et notitia exaratus index verborum, qui quidem perfecti studenti reddit hujus plane scitae lucubrationis usum. Immo vero, magno opere, si quid mel est judicet, ditata hoc volumine manet Bibliotheca Indogermanica, quae cura studioque praecipue Drits. Hans Krahe adhuc edita est in laudem verae scientiae atque artis philologicae.

Quocirca et lectoribus commentarii nostri «Palaestrae Latinae» hujus modi rei curiosis maxime librum commendamus. Atque animo rependimus grates domui editrici Carl Winter, quae praecipuum opus nobis transmissum, recensionis ergo, benigne voluit.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.